Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2613
Quelle:
Copyright:

pra de Remediis contra recidiuum peccandi dandis a Confessoribus. Extat *Opp. T. II. col.* 457. Tertius: *Tractatus de paruulis ad christum trahendis.* Initium: *Sinite Paruulos uenire ad me* &c. *Supremus legislator noster et doctor christus* &c. Extat *Opp. T. III. P. I. col.* 277. Quartus: *Tractatus Magistri Johannis Gerson editus in Concilio Constancien. de oracione et valore eius sub pluribus consideracionibus* &c. Extat *Opp. T. III. col.* 247. Ad calcem subdidit Librarius: *Hic finitur iste tractatus qui scriptus est Basilee tempore Concilij generalis ibidem celebrati. Anno 1439.* et alia manus 1437. Nec dubito praecedentes etiam eodem loco et tempore descriptos fuisse, cum idem sit character. Pluries a nobis relatos *Index* docet.

VI. *fol.* 74. *Ex collacione domini Cancellarij parisien. videlicet, prosperum iter faciet nobis deus. In Concilio Constancien. facta de potestate Conciliorum in eodem Concilio decretata.* Sermonem ipsum, qui habetur *Opp. T. II. col.* 273. indicavi pluries. Hic XII. ex eo *Leges* repraesentantur.

VII. *fol.* 78. *Magister Johannes Gerson Cancellarius Parisien. in sermone. Obsecro vos tanquam aduenas &c. in Concilio Constancien.* Excerpta e Sermone, quem saepius exhibui.

VIII. *fol.* 81. Bini Ejusdem Tractatus. Prior inscriptus *de Confessione et Confessoribus*, incipit: *Quisquis a morte peccati ad salutem et gratie statum vellet resurgere* &c. Non invenio Tractatum hunc in Edit. *Opp. omn.* dicta *Antverpiensi;* agit vero primo de examinanda Conscientia circa 7. Peccata dicta Capitalia, dein subjungit Notanda quaedam ad rite peragendam Confessionem, Formam demum Absolutionis addit. Alter absque Titulo priori connexus Methodum Infirmos ad mortem praeparandi continet, hoc initio: *Si veraces fidelesque Amici cuiuspiam egroti curam diligencius agant pro ipsius vita corporali* &c. *Continet autem*, verba sunt Autoris, *hoc opusculum breues 4^or particulas scilicet exhortaciones interrogaciones oraciones et obseruaciones.* Ad *Gersonem* referre, licet in *Edit.* mox *cit.* non reperiam, suadent etiam ultima verba de Aegrotis mature ad noxarum confessionem permovendis: *Sicut in domo dei* (Hôtel Dieu) *parisius laudabiliter obseruatur.*

IX. *fol.* 88. *Tractatus magistri Johannis Gerson Cancellarij Parisien. de preceptis de confessione et scientia mortis.* Initium: *Cristianitati suus qualiscunque zelator* &c. Jam saepius relatus, et *Opp. omn. T. I. col.* 425. obvius.

X. *fol.* 99. p. 2. absque Titulo Positiones XLI. suis rationibus fultae, quibus in Concilio *Basileensi* urgetur: *Eugenio* IV. abrogandum esse Pontificatum. Prima: *Sicut potestas ecclesiastica non datur alicui persone in fauorem sui sed in fauorem ecclesie, Ita et dignitas papalis est instituta in fauorem ecclesie.* Racio. *Sicut enim de pote-*